Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26344
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quibus uelut armis communiti expugnare non dubitent sensum iudaicum extollentem se aduersus scientiam dei. Hoc ergo facere insistam sicut uis, sicut instanter exigis, prout mihi deus dederit, et animo in aliis occupato possibile fuerit. Et sicut omni ratione quoad potero fideliter armare christianum, ita omni contradictione diligenter curabo subornare iudeum. Festiuum sit pueris fidelibus hoc spectaculum. Nam senibus non necesse est forte nec uacat aut delectabile est interesse aut animum intendere ad huiusmodi conflictum, quippe quorum in mentibus bene fundatum est supra petram et firmiter stat christiane fidei firmamentum. Explicit prologus.

CHRISTIANUS. EGO BAPTIZATUS in nomine patris et filii et spiritus sancti maculam peccati originalis, reatum inobedientie primi hominis in memet ipso dilui. Et contra cibum ligni uetiti quod idem primus homo comedit, corpus et sanguinem Christi de ligno crucis deo dante suscepi, comedensque ac bibens gratiam et gloriam consequor adoptionis filiorum dei. IUDEUS. Ego circumcisus circumcisione quam deus Abraham, deus Ysaac, deus Iacob auctoritate sua tradidit, primogenitus sum filius, quemadmodum deus ipse ad pharaonem dicit: Filius meus primogenitus Israel. Dixi tibi: dimitte filium meum ut seruiat michi, et noluisti dimittere eum. Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum. CHRISTIANUS. Causam siue utilitatem ego noui et dicturus sum tibi, propter quam baptizari debuerim uel necessario baptizatus sim. Tu prior cau